



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regvlæ Societatis Iesv

Angeli, Bernardo d'

Romæ, 1616

Regulæ Modestiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68329](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68329)



REGVLAE

MODESTIÆ.

P. 3. c. 1. §. 4. I
Modestia, hu-
militas, et re-
ligiosa ma-
tutitas.



IN conuersatione nostrorum illud in vniuersum dici potest, vt in omnibus externis actionibus appareat in nostris modestia, & humilitas coniuncta cum religiosa ma-
tutitate : speciatim autem hæc obseruanda erunt.

Caput leuiter non mouendum.

2 Caput huc illuc leuiter non moueatur, sed cum grauitate, vbi opus erit : & si opus non sit, teneatur rectum cum moderata inflexione in partem anteriorem, ad neutrum latus deflectendo.

Oculi demissi.

3 Oculos demissos vt plurimum teneant, nec immoderate eos eleuando, nec in hanc, aut illam partem circumflectendo.

Inter loquendum.

4 Inter loquendum cum hominibus præsertim alicuius auctoritatis, non defigatur aspectus in eorum vultus, sed potius sub oculos.

5 Rugæ in fronte, ac multo magis in naso euitentur; vt serenitas exterius cernatur, quæ interioris sit indicium.

Rugæ euitentur.

6 Labia nec nimis compressa, nec nimium diducta.

Labia.

7 Tota facies hilaritatem potius præ se ferat, quam tristitiam, aut alium minus moderatum affectum.

Hilaritas in facie.

8 Vestes sint mundæ, & cum religiosa decencia compositæ.

Vestes compositæ.

9 Manus, si non in sustinenda veste occupentur, decenter quietæ teneantur.

Manus quietæ.

10 Incessus sit moderatus sine notabili festinatione, nisi necessitas vrgeret: in qua tamen, quantum poterit, decoris ratio habeatur.

Incessus moderatus.

11 Omnes denique gestus, ac motus eiusmodi sint, qui apud omnes ædificationem pariant.

Gestus, et motus.

12 Si plures simul erunt, ordinem præscriptum à Superiore, bini, vel terni incedendo, seruent.

Ordo simul incedendi.

13 Si loquendum fuerit, meminerint modestiæ, & ædificationis tum in verbis, tum in ratione, ac modo loquendi.

Modestia in loquendo.

